

The Digital *Compendium moralium notabilium* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

27 quotations attributed to Fulgentius in the *Compendium moralium notabilium* (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 2, Liber 2, Rubrica 1: De veritate et falsitate et mendacio (fol.31rb):

Fulgentius libro 3. et finali fabula 21. et finali. **Lucida veritas omnium malorum morum falsitate circumdata pollui aliqua commixtione non nouit.**

Ideo et in mari ambulans non miscetur, quia lucida ueritas omni malorum morum salsidine circumdata pollui aliqua commixtione non nouit.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 3.12 (R. Helm ed., 1898, p.80, ll.9-11).

Pars 2, Liber 2, Rubrica 10: De confidentia credulitate credulis atque incredulis (fol.36va):

Fulgentius libro 3. et finali fabula 15. **Credulitas semper deceptionum mater est.**

Zephyri ergo flabrantis aurae anhelante uestura ad semet sororios perducit affectus, earumque uenenosis consiliis de mariti forma quaerenda consentiens curiositatem, suae salutis nouercam, arripuit et facillimam credulitatem, quae semper deceptionum mater est, postposito cautelae suffragio arripit: denique credens sororibus se marito serpenti coniunctam uelut bestiam interfectura nouaculam sub puluinal abscondit lucernamque modio contegit.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 3.6 (R. Helm ed., 1898, p.68, ll.1-8).

Pars 2, Liber 4, Rubrica 1: De odio (fol.43ra):

Fulgentius mitologiarum libro i. fabula 6. **Mortalium iurgiorum inuidie ternario conflantur statu: id est naturali: causali: accidentalis.** Naturale est odium vt canium et luporum pecudum et luporum: hominum et serpentium. Casuale est vt amoris zelus atque inuidie. Accidens est quod aut verbis causaliter oboritur: vt hominum: aut propter comediones: vt iumentis.

Tricerberum uero canem eius subiciunt pedibus, quod mortalium iurgiorum inuidiae ternario conflentur statu, id est naturali, causali, accidenti. Naturale est odium ut canum et leporum, luporum et pecudum, hominum et serpentium, causale est ut amoris zelum atque inuidiae, accidens est quod aut uerbis casualiter oboritur ut hominibus aut comedionis propter ut iumentis.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 1.6 (R. Helm ed., 1898, p.20, ll.9-15).

Pars 3, Liber 1, Rubrica 1: De intelligentia cognitione ingenio et scientia consideratione morali
(fol.61ra):

Fulgentius mitologiarum in prohemio: **Sciencie vestibulum puto scire quod nescias.**

Primum itaque ego scientiae uestibulum puto scire quod nescias.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 1 (R. Helm ed., 1898, p.12, ll.1-2).

Pars 3, Liber 2, Rubrica 1: De prudentia et sapientia (fol.64vb-n.p. fol.1ra):

Fulgentius mitologiarum libro 2. fabula 2. **Sapientia etiam in tenebris proprium fulgorem possidet.**

In huius etiam tutelam noctuam uolunt, quod sapientia etiam in tenebris proprium fulgorem possideat.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 2.1 (R. Helm ed., 1898, p.38, ll.7-9).

Pars 3, Liber 4, Rubrica 1: De vtilitate seu proficuo (fol.71rb):

Fulgentius nutologiarum in prohemio. **Ubi emolumentum deest negotii causa cessat inquiri.**

Quamuis inefficacem petat studium res quae caret effectum et ubi emolumentum deest negotii causa cessat inquiri — hoc uidelicet pacto, quia nostri temporis erumnosa miseria || non dicendi petat studium, sed | uiuendi float ergastulum nec famae adsistendum poeticae, sed fami sit consulendum domesticae — cito itaque nunc aut quod amiseris fleas aut quod edas inquiras quam quod dicas inuenias uacatque hoc tempore potentibus opprimere, prioribus rapere, priuatis perdere, miseris flere — quia soles, domine, meas cachinnantes sepius nenias lepore satyrico litas libentius adfectari, dum ludicro Talia uentilans epi||grammate comedica | solita est uernultate mulcere, additur quia et mihi nuper imperasse dinosceris ut feriatas affatim tuarum aurium sedes lepido quolibet susurro permulceam:

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 1 (R. Helm ed., 1898, p.3, ll.2-16).

Pars 3, Liber 4, Rubrica 3: De vanitate et frustratione humanorum actuum (fol.71vb):

Fulgentius mitologiarum in prohemio. **Inefficax petunt studium resque carent effectu.**

Quamuis inefficacem petat studium res quae caret effectum et ubi emolumentum deest
negotii causa cessat inquiri — hoc uidelicet pacto, quia nostri temporis erumnosa miseria
|| non dicendi petat studium, sed | uiuendi float ergastulum nec famae adsistendum
poeticae, sed fami sit consulendum domesticae — cito itaque nunc aut quod amiseris
fleas aut quod edas inquiras quam quod dicas inuenias uacatque hoc tempore potentibus
opprimere, prioribus rapere, priuatis perdere, miseris flere — quia soles, domine, meas
cachinnantes sepius nenias lepore satyrico litas libentius adfectari, dum ludicro Talia
uentilans epi||grammate comedica | solita est uernultate mulcere, additur quia et mihi
nuper imperasse dinosceris ut feriatas affatim tuarum aurium sedes lepido quolibet
susurro permulceam:

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 1 (R. Helm ed., 1898, p.3, ll.2-16).

Pars 3, Liber 4, Rubrica 8: De labore oportuno et torpore seu mollitie (fol.74ra):

Fulgentius nutologiarum libro 3. fabula 2. **Semper delicata consuetudo laborioso fert preiudicium operi.**

Semper delicata consuetudo laborioso fert praeiudicium operi, et molliter educata, dum quod non optas euenerit, penitentiam creant; melius est enim labore partiliter securiore doceri quam ex necessitate uenientem repentaliter perterreri.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 3.2 (R. Helm ed., 1898, p.61, ll.17-21).

Pars 3, Liber 6, Rubrica 1: De rethorica et poetria et eloquentia facundia: oratione et oratore atque poeta (fol.79rb):

Fulgentius nutologiarum libro i. fabula 18. **Poetica garrulitas semper de falsitate ornata est.**

Solet igitur ad ludere his speciebus et honeste mendax Grecia et poetica garrulitas semper de falsitate ornata, || dum et Danae imbre aurato corrupta est non pluua, sed pecunia, et raptum . . . Ganimedem aquila non uere uolucris, sed bellica praeda.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 1.18-20 (R. Helm ed., 1898, p.31, ll.4-6, 8-9, 11-12).

Pars 4, Liber 2, Rubrica 2: De paupertatis proficuo et molestia ac illaudatione diuitiarum (fol.90vb):

Fulgentius libro 2. fabula 3. **Diuitie semper pregnantes sunt: et nonnunquam abortiunt.**

Ideo et regnis praeesse dicitur, quod haec uita diuitiis tantum studeat; ideo etiam cum sceptro pingitur, quod diuitiae regnis sint proximae; uelato etiam capite Iunonem ponunt, quod omnes diuitiae sint semper absconsae; deam etiam partus || uolunt, quod diuitiae semper praegnaces sint et nonnumquam abortiant.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 2.1 (R. Helm ed., 1898, p.38, ll.16-21).

Pars 4, Liber 2, Rubrica 5: De rapina et furto et quacunque ablatione alieni (fol.92ra):

Fulgentius libro i. fabula 9. **Omnis rapina arida est et sterilis. Omnis rapina ad euolandum est celerrima.**

Arpyias etiam tres inferis Uirgilius deputat, quarum prima Aello, secunda Oquipete, tertia Celeno — arpage enim Grece rapina dicitur — ideo uirgines, quod omnis rapina arida sit et sterilis, ideo || plumis circumdatae, quia quicquid rapina inuaserit celat, ideo uolatiles, quod omnis rapina ad uolandum sit celerrima.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 1.9 (R. Helm ed., 1898, p.21, ll.15-20).

Pars 4, Liber 2, Rubrica 14: De auaritia cupiditate pecunie (fol.94vb):

Fulgentius libro 2. fabula 13. **Auarus in tantum stultus est: vt sibi prodesse non norit.**¹ Libro 3. fabula 16. **Cupiditas nouit habere: non nouit frui.**²

1. Mida enim Grece quasi medenidon, id est nihil sciens; auarus enim tantum stultus est, ut sibi prodesse non norit.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 2.10 (R. Helm ed., 1898, p.50, ll.22-24).

2. Nam et discordia malum aureum iecisse dicitur, id est cupiditatem, illa uidelicet causa, quod in malo aureo est quod uideas, non est quod comedas, sicut cupiditas nouit habere, non nouit frui.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 3.7 (R. Helm ed., 1898, p.70, ll.19-22).

Pars 4, Liber 3, Rubrica 14: De fama seu estimatione laudabilis et infamia (fol.101vb):

Fulgentius mitologiarum libro. 3. et finali. **Dum quis famam timuerit sapiens erit.**

Ergo hic duplex assertio est; aut enim terrore finito sapientia nascitur, sicut de sanguine id est de morte Gorgonae Pegasus, quia stultitia semper est timida, aut initium sapientiae timor est, quia et magistri timore sapientia crescit et dum quis famam timuerit sapiens erit.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 3.1 (R. Helm ed., 1898, p.60, ll.14-19).

Pars 4, Liber 5, Rubrica 3: De modis alliciendi alterius voluntatem ad se amandum amore: venereo: et de his que parant hominem libidini venenere (fol.111va):

Fulgentius libro 2. fabula 7. **Libido quanto carni consenserit: tanto surgit iniquior.**

Denique etiam tacta terra uiridior exurgebat; libido enim quanto carni consenserit, tantum surgit iniquior.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 2.4 (R. Helm ed., 1898, p.43, ll.4-6).

Pars 4, Liber 5, Rubrica 5: De natura venerei amoris (fol.112rb):

Fulgentius libro 2. et finali. **Libido quanto carni consenserit tanto surgit iniquior.**¹ Libro 3. fabula 4. **Amor cum periculo sepe concordat: et dum ad illud solum natat quod diligit nunquam uidet quod expedit.**²

1. Denique etiam tacta terra uiridior exurgebat; libido enim quanto carni consenserit, tantum surgit iniquior.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 2.4 (R. Helm ed., 1898, p.43, ll.4-6).

2. Amor cum periculo sepe concordat et dum ad illud solum notat quod diligit, numquam uidet quod expedit.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 3.4 (R. Helm ed., 1898, p.63, ll.7-8).

Pars 4, Liber 5, Rubrica 10: De molestia et damno amoris venerei (fol.113va):

Fulgentius libro 2. fabula 12. **Omnis qui luxuriam amat cecus est.**¹ Libro 3. et finali fabula 8. **Amor cum periculo sepe concordat: et dum ad illud non solum natat quod diligit: nunquam uidet quod expedit.**²

1. Ergo omnis qui luxuriam amat cecus est.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 2.9 (R. Helm ed., 1898, p.49, ll.12-13).

2. Amor cum periculo sepe concordat et dum ad illud solum notat quod diligit, numquam uidet quod expedit.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 3.4 (R. Helm ed., 1898, p.63, ll.7-8).

Pars 4, Liber 5, Rubrica 11: De exclusiuis et adminiculatiuis amoris venerei et eius libidinis (fol.114rb):

Fulgentius libro 2. fabula 12. **Libidinem sapientia contemnit.**

Hanc etiam Ulixes innocuus transit, quia sapientia libidinem contemnit; unde et uxorem habere dicitur Penelopam castissimam, quod omnis castitas sapientiae coniungatur.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 2.9 (R. Helm ed., 1898, p.50, ll.1-4).

Pars 4, Liber 6, Rubrica 10: De modestia vxorum et dissuasione vxorationis (fol.116rb):

Fulgentius mitologiarum libro i. fabula 21. et finali. **Sicut nihil benigna superius coniuge: ita nihil infesta crudelius muliere.**

Sicut nihil benigna superius coniuge, ita nihil infesta crudelius || muliere.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 1.22 (R. Helm ed., 1898, p.33, ll.21-22).

Pars 5, Liber 1, Rubrica 7: De mansuetudine ira et furore (fol.122ra):

Fulgentius libro 2. fabula 14. **Furor etiam sapientibus aliquando subrepit. Omnis sapientia integritate morum suorum contra furiam virtute animi vendicat.**¹ **Omnis sapiens furorem suum in corde celat.**²

1. Ideo uero | eum Mineruae coniungi uoluerunt, quod furor etiam sapientibus aliquando subripiat. Illa uero armis uirginitatem defendit, hoc est: omnis sapientia integritatem morum suorum contra furiam uirtute animi uindicat.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 2.11 (R. Helm ed., 1898, p.51, ll.14-18).

2. Quod quidem sapientia, id est Minerua abscondit in cista, id est in corde celat; omnis enim sapiens furorem suum in corde celat.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 2.11 (R. Helm ed., 1898, p.52, ll.1-3).

Pars 5, Liber 3, Rubrica 2: De fortuitis ac fatalibus accidentibus aduersitatis vel prosperitatis (fol.137vb):

Fulgentius mitologiarum in prohemiis. Felicitatis nouerca fortuna est: que amarum quodam humanis interset: semper negotiis.

sopitisque in fauilla silentii raucisonis iurgiorum classicis quibus me galagетici
quassauerant impetus defecatam silentio uitam agere creditabam, ni me illuc quoque
me|morum angina inprobior sequeretur felicitatisque nouerca fortuna, quae amarum
quiddam humanis interset semper negotiis, me quasi pedisequa sectaretur.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 1 (R. Helm ed., 1898, pp.4-5,
ll.14-19, l.1).

Pars 5, Liber 3, Rubrica 3: De mutabilitate et caducitate prosperitatis atque aduersitatis ex inopinatis casibus fortuitis aut fatalibus (fol.138vb):

Fulgentius mitologiarum libro 3. et finali fabula 5. **Omnis potentia nescit contra suos diuturnum seruare affectum et quod amauerit cito aut celando amputat: aut fastiendo horrescit.**

Denique omnis nunc usque potentia nescit circa suos diuturnum seruare affectum, et quod amauerit cito | aut zelando amputat aut fastidendo horrescit.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 3.5 (R. Helm ed., 1898, p.66, ll.11-14).

Pars 5, Liber 3, Rubrica 6: De tristitia et merore (fol.140va-vb):

Fulgentius libro 2. fabula 14. **Sapiens dolorem suum aut benigitati commendat que omnium munus est: aut obliuioni.**

Sapiens enim dolorem suum aut benigitati commendat quae omnium munus est aut obliuioni sicut de Cesare dictum est: ‘Qui obliuisci nihil amplius soles quam iniurias’.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 2.6 (R. Helm ed., 1898, p.52, ll.7-10).

Pars 5, Liber 3, Rubrica 8: De miseria et miseris (fol.141vb):

Fulgentius libro i. fabula i. **Sola est medicina miseriarum obliuio.**

Denique doloris angustia quae semper inquirit necessitatis solatium filii sibi simulacrum in edibus instituit dumque tristitiae remedium quaerit, seminarium || potius doloris inuenit nesciens quod sola sit medicina miseriarum obliuio; fecerat enim ille unde luctus resurrectiones in dies adquireret, non in quo luctus solatium inueniret.

Fabius Planciades Fulgentius, *Mitologiarum libri tres*, 1.1 (R. Helm ed., 1898, p.16, ll.11-17).